



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Solemnia hæc à Senatu in Ecclesiam translata sunt. Mos acclamandi Principibus, è theatro in Senatum invectus. Acclamationum ritus. In Concilio Ephesino acclamations factæ sunt Celestino, & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

auctor fuerat. Et statim, *Ab universis Episcopis dictum est: Sententias fratrum omnes sequimur, omnes confirmamus, & observandas esse decernimus.* Hanc cognitionem his verbis clausit Hilarus: *Quoniam presentis definitionis formam, quæ secundum sanctorum est statuta sententiam, in omnium Ecclesiarum notitiam pervenire decernimus, ne cuiquam pro sui possit ignorantia licere quod non licet, edere gesta Notariorum sollicitudo curabit.*

VI. In hoc synodi Romanæ exemplo expressam habemus imperialis auctoritatis imaginem, cum de Senatusconsultis ad ejus relationem & orationem condendis agebatur. Quare scripto quoque sententiam suam Pontifices aliquando recitabant, quæ sententiis & acclamationibus totius synodi munitur. Sic edita sunt decreta Felicis contra iteratum baptismum Africanorum & rebaptizatorum penitentiam. *Proinde, inquit, ut manifesta sit super hoc nostra sententia, quæ nobis sunt visa recitentur.* Sic quoque in synodo Romana Symmachus, recitatis per Notarium decretis quæ ipse opportuniore judicavit, post acclamationes Episcoporum dixit: *Ergo universitati placet & ab omnibus recognoscitur vel probatur ista sententia? Univerſa synodus dixit: Placet; & quod omnibus placet, fiat.* Tandemque adjecit Symmachus: *Acclamationes vestras synodique judicium presentia gesta suscipient.*

VII. Ordo censendi in his synodis, mos depromendi sententias per acclamationes, judicium factum per discessionem, petita sunt ex more recepto in Senatu, quando Senatusconsultum fiebat. Hunc acclamandi Principibus ritum viri eruditi jam olim illustrarunt, qui è theatro in Senatum est admissus. Non tamerè autem quid quisque vellet acclamabat, sed, ut in choris, erat aliquis cuius vox ceteris præiret. hic formulam acclamationis concipiebat, reliquus cœtus nihil nisi acceptas ab eo voces reddebat. In acclamando autem modulatione quadam utebantur, & sæpius eadem verba resonabant. Semper autem in Actis Senatus adnotatum quoties quidque fuisset repetitum, quod ne historici quidem neglexerunt. Nam legitur sæpe apud scriptores historiæ augustæ, *Dictum quinquies, dictum decies, dictum vicies, imò & sexagies* apud Trebellium in Claudio. Hinc vetus Ecclesia & acclamandi morem usurpavit, & formulasis similes quæ in gratiam Principum proferebantur: quas in Acta ecclesiastica per Notarios pari diligentia referebat. Extant in Actis Concilij Ephesini acclamationes factæ Celestino & Cyrillo; & in Actis Concilij Chalcedonensis, acclamationes factæ Leoni: *Ἀέριτος πολλά τὰ ἔτη.*

Πατριάρχης πολλά τὰ ἔτη.

VIII. Sciendum autem est Senatusconsultum aliquando factum fuisse folis acclamationibus, nullis sententiis dictis, quod factum refert Pollio in Senatusconsulto de Valeriani censura. Aliquando verò post acclamationes, interrogabantur Senatores, quod factum in electione Taciti Imperatoris, apud Vopiscum. Quandoque verò à sententia dicenda incipiebant; post sequebantur acclamationes approbantium sententiam ejus qui primus sententiam dixerat, cujus moris exemplum apud Capitolinum in Maximo & Balbino. Cum enim Sabinus sententiam dixisset, acclamatum est uno consensu: *Æquum est, justum est. Sabini sententiæ omnes consentimus.* Quandoque brevioribus verbis consensum suum exprimebant, solenni formula, *Omnes, Omnes.*

IX. Simili acclamatione in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi, & in Romanis sub Hilario & Symmacho, communis consensus omnium ostendebatur; ac præterea eadem varietate, post acclamationes, vel ante, sententiæ rogabantur, vel omittebantur, ut fieri solebat in Senatu. Quare non absque gravi causa Symmachus interlocutus est acclamationes Episcoporum & judicium synodi in Acta esse redigenda; quia sententia & consensus synodi his acclamationibus explicabatur.

CAPVT XI.

Synopsis.

I. *Ius relationis quod in synodis usurpatum est ab Episcopis Romanis, acceptum referri non debet Marciano. Probat ex Actis synodi Ephesinae, ubi Celestinus eo jure usus est. Synodus illa aperit profertur se Celestini epistola coactam ad ferendam sententiam adversus Nestorium.*

II. *Magni momenti sunt illa verba. Auctoritas epistola Pontificis ea est ut parendi necessitatem inducat, si scripturis & traditioni majorum congruere reperiat. Verba Concilij referuntur.*

III. *Firmi Casareæ Episcopi verba expenduntur, que auctoritatem Romani Pontificis respiciunt. Acclamationes Episcoporum facta Celestino & Cyrillo referuntur.*

IV. *Quæritur an licuerit Oecumenica Synodo de aliquo fidei vel discipline capite decernere sine relatione Pontificis. Ita usurpatum à synodo Chalcedonensi.*

I. **R**ELATIONIS imperatoris usum à Pontificibus Romanis in synodo Chalcedonensi & in Occidentalibus Conciliis usurpatum fuisse demonstravimus. Quod accepto ferendum non est rescripto Marciani, ac si Summus Pontifex ex indulgentia &

Felix in Decretis.

Casub. in Notis ad Vulcatium.

Sabinus in Notis ad Vopiscum.

Vopiscus in Notis ad Vopiscum.